

tionem, ut mutui, commodati, depositi, pignoris, pr. et §. seqq. Inst. h. t. Quibus addi solet contractus precarii. Hi proinde *reales* appellantur. 3. *Verbis*, qui stipulato fiunt, unius scilicet contrahentium interrogatione, ac responsione alterius, velut si dicas Caio : *Spondes mihi 100?* isque respondeat : *Spondeo*. Hi igitur contractus *verbales* sunt. 4. *Scriptura*, vel ex libera sic contrahentium voluntate; vel ipsa dispositione legis; talis est e. g. donatio summæ exigentis insinuationem apud judicem. Huic postremæ contractuum divisioni maxime insistit Imperator in *Instit.* eoque duce passim civilistæ.

473. *Dico IV.* In contractibus præterea tria præcipue discerni debent : substantialia, naturalia, accidentalia.

Substantialia sunt, quæ formam et essentiam cuiusque contractus constituant, ut sine iis subsistere non possint. Ita in omni contractu se habet utriusque consensus : in stipulatione interrogatio unius, et responsio alterius in continentia subsequens : in emptione venditione pretium et merx. Unde *substantialia*, salvo contractu, a contrahentibus mutari non possunt.

Naturalia sunt, quæ adesse solent, et tacite insunt contractui, etsi expressa non sint. Hæc possunt ex pacto convenientium removeri, salvo nihilominus manente contractu. Sic vendor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio vindicata fuerit, L. ex *empto II.* ff. de *Act. empt.* et tamen partes conventione obligationem evictionis tollere possunt, L. ead. §. 18. Similiter in contractu depositi culpa lata; in locato levis; in commodato levissima præstanda est; conveniri tamen potest, ut vel major culpa, vel minor præstetur. C. un. de *Commod.* L. 4. §. 6. ff. *Depositii*.

Accidentalia sunt, quæ adesse, vel abesse possunt, nec ordinarie contractui insunt, ut arrhæ in emptione et venditione; addictio in diem; etc. Et hoc pertinet vulgatum illud : *Pacta dant legem contractui*. L. 23. ff. de *R. J. L. 52. ff. de V. O.*

ARTICULUS II.

QUINAM CONTRAHERE POSSINT? ANNON PUPILLI, MINORES CITRA AUCTORITATEM TUTORUM, CURATORUM CONTRAHENTES OBLIGENTUR NATURALITER?

474. *Dico I.* Contractus inire possunt generaliter omnes, qui liberum præstare consensum possunt, nec a jure prohibentur. *Prob.* A jure enim naturali præcise ex parte contrahentis plus non exigitur, quam præstitus libere, consensus; nisi igitur prohibeat a jure positivo talis contrahere, nihil obstat, quo minus pacisci et contrahere possit. Prohibentur vero 1º. *jure canonico*, Prælati et administratores Ecclesiarum, rerumque ad has pertinentium sine solemnitatibus, ut suo loco diximus : item Religiosi circa res temporales sine Superioris consensu, tum quia non habent proprium velle et nolle, c. 2. de *Testam. in 6.* tum quia sine Superioris consensu nihil dare, aut recipere possunt, obstante voto paupertatis. 2º. *Jure civili*, præter servos, L. 14. ff. de *O. et A.* prohibentur 1. prodigi declarati, quibus a Magistratu adempta bonorum administratio, L. 6. ff. de *V. O.* 2. pupilli, minores, filiifamilias, sub certis limitationibus, de quibus proin partim hoc, partim sequenti Art.

475. *Dico II.* Pupillus ex contractu sine tutoris sui auctoritate inito, si non sit factus ditior, nec usus dolo, probabilius nequidem contrahit obligationem naturalem et in conscientia. Ita communior hodie contra multos.

Dixi autem 1º. sine *tutoris sui auctoritate*; si enim tutore caret, sitque infante major, certum est, eum obligari naturaliter; jura enim, quæ actus pupilli irritant, supponunt tutorem fuisse constitutum; salva tamen lesa tunc manet restitutio in integrum. 2º. Si non factus ditior, tunc enim eumdem obligari naturaliter juris clari est, L. 1. pr. L. 5. §. 1. ff. de *Author. et Cons. Tutor.* 3º. Nec usus dolo; tum enim æque certum, eum non tantum naturaliter, sed etiam civiliter obligari, L. 1. §. 15. ff. *Depositii*. Sed et istud hic extra controversiam est, non obligari naturaliter pupillum (idem est de iis, qui sub curatela sunt) si cum tutore proprio sine auctoritate alterius contutoris, vel judicis contraxerit, L. 46. ff. de *contrah. empt.* Nunc

Prob. I. Juris textibus claris : L. 59. ff. de *O. et A.* ubi : *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur*. Item L. 41. ff. de *Condict. indeb.* ubi : *Quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est; quia nec natura debet; ergo non obligatur naturaliter; quod enim naturaliter debetur, et solutum est, repeti non potest.* L. 10. ff. de *O. et A.* Adde L. 29. ff. de *Condict. indeb.* ubi pariter : *Interdum persona locum facit repetitioni, ut puta, si pupillus, sine tutoris auctoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis interdictum est, solverit; nam in his personis generaliter repetitioni locum esse, non ambigitur.* Confer rursus, quæ Art. præc. de solutione indebiti diximus.

Prob. II. Leges irritantes contractus pupilli intendebant consulere pupilli, et cavere eorum indemnitatibus : atqui parum iis consuluerint, nec sufficienter eorum cavisserent indemnitatibus, si solam obligationem civilem, non etiam naturalem in pupillo sustulissent, quæ fortius obligat; et quid proin iis prodesset, si in conscientia obligati manerent, etsi per actionem civilem a parte altera cogi in judicio non possint?

Neque dicas : prodesse iis satis, cum excipere possint, si convenientur ab altero; vel petere in judicio restitutionem in integrum, et sic se ab obligatione naturali liberare; nam primo casu igitur, quo pupillus non convenientur a parte altera, teneretur implere obligationem. Ac licet solutum repeteri possit per actionem, imponitur tamen ipsi necessitas contendendi in judicio, quod ipsum onere, et damno non caret. Deinde nec per restitutionem in integrum satis cautum pupillo esset, tum ex eadem ratione data; tum, quia præstat jura sua intacta servare, quam post vulneratam causam remedium querere.

Prob. III. Contractus pupilli debet esse auctoritate tutoris et aliquando judicis informatus; ergo sine hac etiam pro foro interno nullus erit, utpote sua forma destitutus, sicut testamentum et matrimonium celebrata sine testimoniis præsentia.

476. *Dico III.* Minor sine curatore, si quem habet, contrahens circa bona sua, pariter invalide agit, ut nequidem contrahat obligationem naturalem et in conscientia, quamvis alterum obliget sibi, si rem suam faciat meliorem; sicut nimirum de pupillo dictum,

Prob. Quia videlicet curator non minus datur a jure rebus minoris, quam tutor rebus pupilli, ne illis iudicatur.

Dixi: circa bona sua; nam personaliter obligare se potest valide et ad actiones personales, L. 101. ff. de V. O. quando nimurum obligatio personalis non tendit ad alienationem rerum, et terminative realis non est: hinc minor valide contrahit sponsalia et matrimonium; valide emitit professionem religiosam; et ad operas personales se obligat; nam curator non personae, sed rebus primario datur. Nov. 417. cap. I.

477. *Obj. I. cont. Concl. II.* Jura allegata loquuntur de pupillo infante, vel infantiae proximo, qui ob defectum deliberati et veri consensus, nec naturaliter obligari potest; aliter vero dicendum de pupillo pubertati proximo; ergo.

R. N. Ant. Jura generaliter loquentia generaliter intelligenda sunt. Quin longe verosimilius est, Jurisconsultos loqui de eo, de quo poterat esse dubium, an naturaliter obligetur; verumtamen dubium de pupillo infante, vel adhuc carente sufficiente rationis usu esse non poterat, cum certum sit, eum obligari naturaliter non posse; at dubium esse poterat de pupillo pubertati propiore.

Inst. 1. Ad obligationem naturalem inducendam sufficit consensus liber, L. 93. ff. de solut: atqui hunc ponere potest pupillus pubertati proximus; ergo.

R. D. M. Consensus liber, si jus aliud praetera non requirat C. si requirat N. Tunc consensus debet esse liber, et legitimus; at jus ad contractum pupilli auctoritatem tutoris exigit. Unde retorsio est in eo, qui matrimonium contrahit cum impedimento dirimente juris Ecclesiastici, clandestino; in professione religiosa ante 16. etatis annum.

Inst. 2. §. 2. Inst. quib. alienare lic. dicitur, quod pupillus, dans mutuas pecunias sine auctoritate tutoris sui, possit eas vindicare, si adhuc extant, vel, si non extant, condicere; ergo accipiens mutuas pecunias a pupillo potest eas retinere, nisi per actionem civilem eas cogatur reddere. *Subs.* Atqui jus retinendi id, quod traditum est, supponit contractum jure naturali subsistere; ergo.

R. N. Cons. Non enim repugnat per actionem civilem repetere, quod quis naturaliter debet. Deinde *permissio*, quod in mutuatorio non detur obligatio naturalis reddendi mutuum non petenti; non tamen propterea sequitur, dari obligationem naturalem in mutuante, inhabilitato a jure ad mutuum dandum; quia non repugnat istud a jure dari sine obligatione naturali mutuum dantis. Neque demum jus retinendi est effectus necessario connexus cum obligatione naturali mutua, ut merito notat PICHLER hic.

478. *Obj. II.* Fidejussor pro pupillo obligatur naturaliter et in conscientia, L. 42. ff. de Jurejur.: atqui fidejussor non obligaretur, nisi etiam obligaretur pupillus, arg. L. 16. §. 3. ff. de Fidejussoribus.

R. 1º. D. Argumentum a fidejussore pupilli probat nimium, videlicet pupillum etiam obligari civiliter, quia et sic ejus fidejussor obligatur.

R. 2º. D. M. Fidejussor pro pupillo obligatur obligatione principali et personali C. obligatione accessoria, id est, obligatur ideo, quia obligatur pupillus, pro quo fidejubet, N. Sic D. min. et N. Cons. Fidejussorem obligat

lex, quia fidejubet pro tali, quem scire debebat non obligari. Aliter respondent alii: *D. min.* Nisi etiam obligaretur pupillus vel vere, vel fictie C. vere N. Juxta hos, quando agitur de tertio vel obligando, vel liberando, ejusve favore, vel præjudicio pupillus *fingitur* esse obligatus; quia leges pupillo tantum favere volunt; aliis autem nec prodesse, nec obesse; sieque valide pro pupilo intercedit fidejussor; quia, cum fidejussio alias supponat obligatum alterum, ut proinde hoc casu subsistat fidejussio, fingitur pupillus obligatus. Et vero fictiones ejusmodi in jure non rare sunt; sic jura consensum pupilli fingunt in quasi contractu tutelæ, rei, vel haereditatis communis administratione, negotiorum pupillarium gestione, §. 2. *Inst. de Obl. quæ quasi ex Contr.* L. 4. ff. de contr. Tut. et utili Act. L. 6. pr. de negot. gest. etc.

Inst. 1. Fidejussor non in plus obligari, sive in duriorem causam accipi, quam ejus principalis, arg. variis LL.; ergo si fidejussor obligatur naturaliter, etiam sic obligatur pupillus.

R. 1º. Ergo si fidejussor obligatur civiliter, etiam pupillus. Unde nolint, velint adversarii, aliquam ex datis ante responsionibus ipsi amplecti debent. Proin

R. 2º. D. Ant. Non potest in plus obligari *extensive*, sive in majorem summam, quam principalis C. *intensive*, sive obligatione fortiori N. vel *subd.* ut ante: quando obligatur obligatione, vere accessoria C. quando principali N. Tunc enim hic solus obligatur. At sic obligatur fidejussor pupilli; sicut nimurum contractus bilateralis cum pupillo a majorenne initus claudicat, valetque ex parte majorennis, huncque obligat, non autem pupillum; sic ex speciali juris dispositione, valet fidejussio, obligatque fidejussorem, licet non pupillum. Unde vulgare illud: *Fidejussor non potest in plus obligari*, quam principalis, procedit ex supposito, si principalis vere talis adsit, hoc est, si is, pro quo quis fidejubendo intercedit, obligetur; tunc enim fidejussor nequit per se loquendo in plus obligari.

Inst. 2. Omnes exceptiones, quæ competit principali, competit etiam ejus fidejussori, L. 19. ff. de Except.; ergo si pupillus haberet exceptionem, qua tutus foret, deberet ea etiam competere ejusdem fidejussori; ergo cum huic nulla competit, signum, quod nec pupillo aliqua competit.

R. 1º. D. Ant. Exceptions reales, vel etiam personales, si alias ipsi principali non prodescent, competit etiam fidejussori C. mere personales N. Exceptions reales, ut senatusconsulti Macedoniani, Velleiani competere etiam fidejussoribus, certum est, quia convenientur ex illa ipsa causa, cui talis exceptio concessa est, et quia aliquoquin prædicta personales exceptions fierent ipsi principali inutiles, quo casu etiam privilegia personalia extendi possunt. Exceptions contra mere personales, quæ ob qualitatem mere personalem concessæ sunt, quales sunt, exceptio beneficij competentiae parentibus, sociis, conjugibus, militi, clericis, patrono, bonis cedenti, item exceptio pupillo ob ætatem pupillarem data, non extenduntur ad alios, præsertim dum pupillus non habet, quod metuat, suum privilegium inutile sibi futurum esse, quia a fidejussore aequo parum, quam a principali creditore ex suo contractu sine suo tutori inito conveniri potest.

R. 2º. N. et ult. Cons. quia obligatio fidejussoris hic non est accessoria, sed principalis.

Inst. 3. L. 23. ff. de Fidejuss. dicitur : *Si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato, prodige, vel furioso fidejussérit, magis est, ut ei non subveniat, quoniam his mandati actio non competit.* In hac lege dicitur pupillus sine auctoritate tutoris obligatus ; ergo.

R. D. Pupillus locupletior factus *C. secus N.* Lex 23. loquitur de pupillo, prodigo, et furioso ex negotio ab alio gesto locupletioribus factis ; et sensus legis est : si pupillus, prodigus, aut furiosus ex *quasi contractu* sine tutoris, vel curatoris auctoritate obligatus sit (quo casu *jure obligat*) et civiliter dicuntur, *L. 46. ff. de O. et A.* tunc etiam pro his valide intercedit fidejussor, quod etiam clare asseritur *L. 70. §. 4. ff. de Fidejussor.* Fidejussori tamen non subvenitur actione mandati, quae alias competit fidejubentibus contra debitores, pro quibus fidejusserunt, et solverunt, ex ratione, quod mandatum sit verus contractus; ex vero autem contractu prodigus, furiosus et pupillus, licet locupletiores facti, non obligantur civiliter, nec contra illos actio ex contractu datur, sed ex rescripto *D. Pii*, sive *condictio ex lege*; vel etiam negotiorum gestorum actio, quatenus utiliter fidejubendo illorum gesta negotia dicuntur, competit. Confirmat responsionem supra datam elegantissimus *GOTHOFREDUS* in *L. 23.* notans : *verus sensus est, pro pupillo, furioso et prodigo sine tutori jure obligatis recte intervenit fidejussor.*

479. Obj. III. Pupillus potest novare alterius obligationem. Item, pupilli obligatio novari, et in constitutum deduci potest, *L. 1. §. 4. L. 9. ff. de Novat.* ergo saltem, ut quidem *L. 1. cit.* diserte dicitur, obligatur *naturiliter*; novatio enim est prioris debiti in aliam obligationem, vel naturalem, vel civilem transfusio.

R. D. Ant. Potest novare obligationem alterius novatione *perfecta*, ea scilicet, quae habeat vim perimendi obligationem antiquam, et suscipiendo novam *N. imperfecta*, h. e. quae habeat tantum vim perimendi obligationem antiquam, quin suscipiat nova *C. Nam*, ut dicitur *§. 3. Inst. quib. mod. toll. oblig.* *Sæpe novationis jure prior obligatio tollitur, et tamen nova non substituitur;* ac : *prior obligatio tollitur, licet posterior stipulatio sit inutilis*, et signanter assertur exemplum pupilli. Cæterum pupillum sine auctoritate tutoris inhabilem esse ad perfecte novandum, tum ex modo *cit.* *Inst. tum præsertim ex L. 22. ff. de Novat.* constat. Eodem modo responde ad casum, si pupillus loco alterius se solutum constitutat. Si quis vero aliis loco pupilli se solutum constitutat, obligabitur eo modo, quo pupilli fidejussor.

480. Obj. IV. Variæ leges supponunt, pupillum ex contractu mutui obligari naturaliter; ergo. *Prob. Ant. 1^o. L. 21. ff. ad L. Falcid.* ponitur hic casus : Titio pupillo mutuos dedi 100. Dein condidi testamentum, ac pupillo lego domum meam sub conditione, si hæredi meo præstiterit illos 100., diciturque 1. quod pupillus præstando hos 100. et conditioni pareat, et liberetur *naturali obligatione*; 2. quod pupillus, si etiam repudiet legatum domus, vel alterius rei specificē legatae, hæcque pereat, non possit illos 100. repetere ; et 3. quod hæres taliter a pupillo solutum imputare debeat in Falcidiam, cum tamen, quod revera nou est debitum, sed solum conditionis implendæ causa hæredi præstitum, in Falcidiam non imputetur, *L. 29. ff.*

eed. ergo vere obligatur pupillus; alias enim non posset dici se liberare ab obligatione naturali; privatio enim supponit habitum; denegaretur repetitio soluti, nec imputaretur in Falcidiam.

2^o. Ex L. fin. ff. de Jurejur. ubi : *Si pupillus juraverit, se dare non oportere, naturalis obligatio hac pactione tolletur, et soluta pecunia repeti poterit;* ergo pupillus habere obligationem naturalem supponitur, quam juramento extinguit, vel ad quid opus esset juramento ?

3^o. L. 25. ff. quando dies legator. *PAPINIANUS* docet, valere legatum debiti, quod pupillus debet ex mutuo, præstandi legatario, si testator *verbo pupilli naturalem obligationem, et futuram solutionem cogitavit*; ergo.

4^o. L. 64. ff. ad senatusconsulti Trebell. Jurisconsultus ait, quod fideicommissarius, cui hæreditas pupilli restituta fuit, si solvat creditori mutuam pecuniam a pupillo sine tutoris auctoritate acceptam, non repetet : ac rationem addit : *quia naturalis obligatio a pupillo in fideicommissarium translata intelligitur;* ergo.

R. N. Ant. Ad prob. 1^{am}. *R. D. Cons.* Ergo obligatur, si inde factus fuerit locupletior *C.* si non *N.* In *cit. L.* pupillus debet numerare 100. vel per modum puræ conditionis, si velit obtinere legatum; vel simul ex obligatione naturali, si ex illis 100. factus locupletior. Imo lex de casu procedit, quo factus locupletior; nam agit de pupillo, qui mutuum accepit, ex quo regulariter fit locupletior mutuarius; non enim dilapidatio præsumitur: et vero vel hoc, vel simili modo debent hanc legem nobiscum accipere adversarii, ne alioquin aperte pugnet cum *L. 41. ff. de conduct. indeb.* quæ diserte pupillo concedit repetitionem soluti, ei, ut volunt adversarii in hac lege denegatam.

Ad prob. 2^{am}. *R. N. Cons.* Hæc enim : *naturalis obligatio hæc pactione tolletur*, si legem bene attendimus, fidejussorem pupilli respiciunt; casus enim legis hic est : Creditor de mutua pecunia contra pupillum contendebat, huic juramentum deferens : *juravit pupillus, se dare non oportere.* Creditor igitur eamdem pecuniam a pupilli fidejussore petit; ac proinde queritur : an excludendus sit, scilicet creditor respectu fidejussoris, exceptione jurisjurandi, scilicet a pupillo præstili? et respondetur : si hoc sensu juraverit pupillus, quod ideo dare non oporteat, quia plane pecuniam mutuam non accepit; aut quia pacto de non petendo, vel alia exceptione reali tutus est, hoc quoque prosit fidejussori, siveque *naturalis obligatio* (fidejussoris de quo quærebatur) *hæc pactione tollatur*; si vero hoc sensu juraverit, quod nihil debeat ob suum privilegium, quo sine auctoritate tutoris non obligatur, hoc nihil prosit fidejussori; quia, ut dictum, hoc privilegium, vel hæc exceptio personalis est. Aut denique est dubium, an acceperit quid pupillus nec ne, et tunc, quia creditor, deferendo juramentum pupillo, quasi transegit, id quoque prosit fidejussori. Ut vides, ea lege de obligando, vel liberando fidejussore tantum agi.

Ad prob. 3^{am}. *R. pariter N. Cons.* Lex enim loquitur de casu, quo pupillus accepit mutuum sine consensu tutoris, postea vero vel sui juris factus, vel ipse adhuc tutor contractum ratum habeat, ac solvat. Et hoc debitum conditionatum vocat lex *obligationem pupilli naturalem, solutionem futuram*; quia pupilli contractus saltem hoc operatur, ut, licet sit inefficax ad generandam obligationem et debitum de præsenti; possit tamen de futuro,

si scilicet vel pupillus sui juris factus agnoscat et ratum habeat debitum solvendo, vel ipse adhuc tutor de novo consentiat. Ratio sic explicandi ex ipsa lege sumitur; ait enim parte priore, *hæredem nihil debere de præsenti, quia pupillus nihil debet hæredi*; at, si naturaliter obligaretur, haud dubie etiam deberet de præsenti; ergo pars legis altera in dato sensu accipienda. Deinde quia alias probaretur nimium, scilicet pupillum transferre dominium pretii soluti inscio tute irrevocabiliter, quod et contra leges apertas est, nec sustinent adversarii.

Ad prob. 4^{am}. R. Legem intelligendam esse de pupillo, qui factus locupletior, scilicet ex mutuo, ex quo juxta dicta superius, mutuarius regulariter fit locupletior. Præterea ex textu apparet, non fuisse hic Jurisconsulto mentem respondere de obligatione pupilli, valeatne, vel non sed exponere vim senatusconsulti Trebellianici; itaque in pupillo obligationem aliquam supposuit, quæ juxta leges, alias jure saltē naturali subsistit, qualis est in pupillo qui locupletior factus. Eodem modo explicanda L. 3, ff. *Commodat.* L. 44, ff. *de solut.* nimirum de pupillo locupletiore facto.

Dices: At L. 95, ff. *de solut.* et liberat. queritur, an ante deductionem Falcidiae possim tanquam æs alienum a massa hæreditaria deducere 100, quos pupillo credidi, et respondetur, quod non solum in quantum pupillus ex illis 100. locupletior factus, sed *solidum* creditum possim retinere ex hæreditate; ergo pupillus, etiam non locupletior factus, fuit vere obligatus.

R. N. Cons. Privilegium enim pupilli mere personale est, cuius personæ tantum leges favere volunt; aliis vero nec prodesse ob pupillum, nec obesse.

481. *Obj. V. 1^o. L. 1. §. 1. ff. Deposit.* pupillus tenetur actione depositi; ergo obligetur, necesse est. 2^o. L. 101, ff. *de V. O.* minores 23. annis se obligare possunt; ergo et pupilli. 3^o. L. 3. C. *de in integr. restit. min.* minor debet petere restitutionem in integrum; ergo contractus ejus valuit; idemque de pupillo tenebit. 4^o. Si pupillus contractum initiv sine auctoritate tutoris, obligatur pupilli hæres ad contractum servandum: atqui hoc dici non posset, si ipse pupilli contractus non valuerit.

Ad 1^{um}. R. Lex ipsa responsionem subministrat, et limitationem exprimit, si nempe dolum commiserit, tum enim obligari pupillum, ex ipsa Conclus. constat, et L. 1. §. 15, ff. *Depos.* neque enim jura, dum alicui favent, ideo fraudibus patrocinari volunt.

Ad 2^{um}. D. Ant. Se obligare possunt ad mere personalia C. quando agitur de alienatione rerum suarum N. Responsio constat ex Concl. II.

Ad 3^{um}. R. D. Ant. Si contrahens minor curatorem non habuit C. si habuit N. Sed minor contrahens sine curatoris sui, quem habet, consensu, agit invalide; neque tunc restituitur in integrum; sed declaratur nullus fuisse. Ac eodem modo se res cum pupillo habet.

Ad 4^{um}. R. N. min. Ut enim aliquoties dictum privilegium pupilli personale est, hujus personam non egrediens; igitur non transit ad hæredes, nec hæres quoad illud defuncti pupilli representat personam; ergo potest tamen obligari hæres, quin sic obligetur pupillus.

ARTICULUS III.

AN, ET QUOMODO FILIUSFAMILIAS OBLIGETUR EX MUTUO?

482. *Præmitto I.* Filiumfamilias circa bona castrenia et quasi talia posse libere disponere, etiam alienando, ac proin circa illa contrahere valide, ac contrahendo obligari, dubium non est, constatque ex dictis *Diss. III.* de dominio filiorumfamilias, L. 4. §. 1. ff. *de Castren. pecul.* Ex qua L. 4. etiam bene a contrario colligitur, invalide illum agere, si pubes est, contrahendo circa bona adventitia et profectitia sine consensu patris; si que adhuc impubes, etiam cum consensu patris; sumiturque præterea ex L. fin. §. 5. C. *de bon. quæ liber.* et quoad partem alteram, de filio impubere ex §. 10. *Instit. de inutil. Stipul.* Sola circa contractus filiorumfamilias remanet controversia quoad contractum mutui, an et quallem obligationem contrahant ex mutuo contracto? ob *senatusconsultum Macedonianum*, quod filiofamilias dat exceptionem contra creditores, exigentes restitutionem mutui. Prodiit hoc senatusconsultum auctore primum CLAUDIO Imperatore, deinde VESPASIANO auctore confirmatum a Senatu Romano, occasione cuiusdam Macedonis, fœneratoris improbissimi, qui *incertis nominibus*, variis sub usuris libere filiisfamilias mutuas, inscio patre, dabat pecunias. Hinc filiorum perversio et corruptio, atque ob paratos semper nummos profusa vitæ licentia: ac quoniam mutuas dabat ad annos incertos, cum urgerentur a fœneratore ad restituendas, nec haberent unde solverent, aliquando vitæ patris ponebant insidias: accedebat malum tertium, filiorum, cum sui juris fierent, egestas, et occasus familie.

Præmitto II. Tres esse circa præsentem controversiam sententias. Prima vult, per exceptionem senatusconsulti Macedoniani non solum elidi actionem fœneratoris, sed omnem præterea obligationem, etiam naturalem tolli, resultantem ex mutuo, sive mutuum adhuc extet penes filium, sive consumptum sit. Hanc multi præsertim legum Doctores tinentur; imo horum non pauci sentiunt, per senatusconsultum actionem omnem, etiam inefficacem, adfici creditoribus, adeo ut exceptio filiofamilias concessa, sit mera *exceptio facti*. Altera filiumfamilias vi hujus senatusconsulti non tantum liberari vult ab actione fœneratoris, sed etiam obligatione naturali restituendi mutuum, si non sit factus locupletior, id est, modo pecunia nec formaliter, sive in natura; nec virtualiter, sive æquivalenter in peculio extet. Postrema pro jure naturali stat, ac contendit, per exceptionem senatusconsulti Macedoniani elidi quidem actionem fœneratoris in judicio, ut filius in hoc ad restituendum compelli non possit; remanere tamen eum ad restituendam pecuniam obligatum naturaliter, ac in conscientia, sive locupletior sit factus ex mutuo, sive non.

483. *Dico.* Filiusfamilias mutuum contractum sine præscitu patris, regulariter bona conscientia non solvit nec post mortem patris; sive factus fuerit ditor, sive non.

Prob. 1^a. pars. Ex tot. tit. ff. et C. de S. C. M. quod negat creditoribus actionem efficacem, et filiusfamilias perpetuam concedit exceptionem, qua